

*lar. cap. vii, dub. xx, sect. i, n. 5*, sustinet sufficere approbationem prælati regularis. Gaudentio cæterisque auctoribus idem sententibus favere videatur Benedictus XIV qui, in constitutione *Quod communi*, 30 martii 1742, § II, declarat ut quilibet ex ordine Capuccinorum, sive sacerdos, sive conversus, cum debita licentia extra claustra degens, si nullum ex dicto ordine confessarium reperiat, confiteri possit peccata sua cuilibet sacerdoti sacerulari ab ordinario loci approbato « et etiam regulari, dummodo approbatus sit a suo superiori regulari ad sacramentales confessiones excipiendas. » Verum cum id speciatim indultum sit religiosis ordinis Capuccinorum dumtaxat, statui nequit generalis regula pro religiosis cæterorum ordinum, ideoque, cum agatur de administratione sacramentis, sentio non recedendum esse in praxi pro aliis regularibus a contraria sententia utpote tertiiori. »

Cf. Adnotationes XVII et XVIII sequentes.

Notandum quod non competit superioribus locibus facultas deputandi confessarios pro excipiendo suorum religiosorum confessionibus, bene vero prælatis regularibus, id est generalibus et provincialibus. Sed, ex constitutione Clementis VIII, *Romani Pontifices*, 23 nov. 1599, ab hac generali regula excipitur casus deputationis confessarii novitiorum, semel vel bis in anno facienda, si ita expedire judicaverint, ibi § XVII: « Magistro soli novitiorum confessiones audiendi cura committatur. Liceat autem superiori etiam locali, si ita expedire judicaverit, vel per seipsum, vel per alium ab eo deputandum, semel aut bis in anno eorumdem novitiorum confessiones audire. » Giraldus, loco citato.

#### ANIMADVERSIO XVII.

##### DE APPROBATIONE CONFESSARIORUM.

« Præter Pauli V, Urbani VIII et Clementis X constitutiones, Innocentius XII, per suam constitutionem *Cum sicut*, 19 april. 1700, decrevit ac declaravit confessarios tam sacerulares quam regulares, quicumque illi sint, in vim bullæ cruciatæ a pœnitentibus ad audiendas eorum confessiones electos, eas audire non posse sine approbatione ordinarii loci in quo ipsi pœnitentes degunt et in quo confessarios ad suas excipiendoconfessiones requirunt; neque ad hoc suffragari approbationem semel aut pluries ab ordinario aliorum locorum obtentam, etiamsi pœnitentes subdit illorum ordinariorum forent qui confessarios electos approbassent; adeoque confessiones in posterum aliter factas et auditas nullas, irritas atque invalidas fore: sacerdotibus vero, qui illas audire præsumperint, suspensionis pœnam ipso facto incurrendam indixit. Opinionem autem contrariam tanquam falsam, temerariam, scandalosam, et in praxi perniciosa damnavit, eamque doceri, sustineri, aut ad proximam deduci sub pena excommunicationis ipso facto incurrende prohibuit.

» Innocentii XII constitutionem confirmavit mox per litteras in forma brevis Innocentius XIII, *Apostolica ministerii*, 13 maii 1723, quibus etiam declaravit sacerdotes, sive sacerulares, sive regulares, qui ab episcopis obtinuerint licentiam audiendi confessiones limitatam, vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum, non posse sacramentum pœnitentia administrare extra tempus, vel locum, vel personarum genus ab ipsis episcopis præscriptum, quocumque privilegio, etiam in vim bullæ cruciatæ, nullatenus suffragante. Sacerdotibus autem tam sacerularibus quam regulibus, ad confessiones excipiendo, vel ex vi bullæ cruciatæ, vel ex quocumque alio privilegio electis, minime suffragari quod approbati alias fuerint ab episcopo qui loci, in quo confessiones audiendæ sunt, ordinarius aliquando fuerit sed non amplius sit, vel quia obierit, aut episcopatui renuntiaverit, vel quia ad aliam ecclesiam auctoritate apostolica fuerit translatus, sed necessarium omnino esse illius approbationem qui actu ordinariam in ea diecesi exercet jurisdictionem; eam tamen sufficere etiam tacitam, ac tamdiu durare quamdiu præcedens approbatio expresa revocata non fuerit: in quo casu nova ex integro impetranda est, non secus ac quando prior approbatio, tempore præfinito elapsa, expiraverit.

» Innocentii XIII litteras Benedictus XIII alias apostolicis suis litteris *In supremo*, 23 sept. 1724, approbavit, confirmavit atque innovavit.

» Verum cum novæ hac super re excitari possent controversiae, Benedictus XIV, ut omnem in posterum dubitandi occasionem adimeret, constitutionem edidit *Apostolica indulta*, nonis augusti 1744, qua statuit ac declarat idem omnino jus, quod vigore prædictorum decretorum circa intelligentiam et usum indultu bullæ cruciatæ obtinet, etiam quoad reliqua ejusdem generis indulta pariformiter valere atque obtinere debere; et reprobationem dictarum opinionum, quatenus respiciunt intelligentiam et usum indultu bullæ cruciatæ, a præfatis Pontificibus præscriptarum, locum similiter habere, quatenus easdem opiniones et sententias in medium proferri contigeret, circa similia etiam indulta sive universis per Ecclesiam Christi fidelibus, sive alieni regioni, aut loco, universitati, aut cœtu particulari sodalium seu confratrum, quomodocumque et ubicumque concessa vel concedenda. Præter hucusque a laudato Benedicto statuta et declarata hæc subdit:

« Insuper decernimus et declaramus id, quod generaliter de indultis premissis sentiendum jam diximus, generaliter quoque intelligendum esse de omnibus et singulis personis quæ sub eorumdem indultorum concessione comprehensa repe riuntur, vel quas in posterum comprehendendi con tingat, queaque supradictis indultis uti voluerit, ita videlicet ut, si in aliquo indulto tam sacerularibus quam regularibus tributatur facultas eligendi confessarium ab ordinario loci approbatum, tunc confessarius vigore talis concessionis, sive a sacerulari sive a regulari pœnitente ad audiendas eorum respective confessiones electus, nullatenus

#### ANIMADVERSIO XVIII.

» ejusmodi confessiones audire valeat nisi ab episcopo dicecesano et ordinario loci, ubi confessio excipienda est, ad confessiones approbatus et deputatus existat, quæcumque alia approbatione tam illius generis quam uterque Innocentius prædecessores predicti declararunt non suffragari, quam ea, si de regularibus agatur, que a solo proprio regulari prælato obtenta foret, minime suffragante. Äquum est enim et rationi consenserunt ut quicunque speciali indulti beneficio gaudere eoque uti voluerit, is conditions in eodem indulto præscriptas omnino servet; neque licitum est cuiquam conditionem illam approbationis confessarii per loci ordinarium facienda alio modo intelligere quam eo quo ipsam intelligendam esse toties prædecessores nostri Romani Pontifices, ut præmissum est, decreverunt. Quorum nos quoque vestigiis inhærentes, præfata conditionem in eodem plane sensu quem illi tradiderunt ab omnibus et singulis, hujusmodi indulto sub ea conditione concessa utentibus, accipiendam et servandam esse statuimus atque mandamus, quicunque illi fuerint, qui in vim ejusmodi indultu confessarium sibi eligent, sive sacerulares sive regulares cujuslibet ordinis et instituti, tam mendicantium quam non mendicantium, et ordinum militarium, etiam militiae hospitalis S. Joannis Hierosolymitani necnon Societas Jesu, atque alterius cujusque congregationis vel societatis, tametsi de illis, aut illorum, vel illarum aliquo seu aliqua, specialis et expressa mentio quomodocumque facienda foret. Ideoque confessiones et absolutiones in præmissis casibus alter in posterum factas, et respective auditas seu impertitas, irritas fore et invalidas declaramus; et contrariam quamcumque opinionem ejusque proximam deinceps prohibemus ac reprobamus, tanquam explanata toties ab Apostolica Sede verborum intelligentiae ac menti nostræ, quam ad omnem hac suer re ambiguitatem tollendam per præsentes clarius exposuimus, penitus adversantem. »

Hæc omnia apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.*, in appendice, qui apposite concludit sacerdotes tam sacerulares quam regulares, ne vigore quidem bullæ cruciatæ, aut jubilæi, in quo cujue etiam regulari concedi solet a Sede Apostolica facultas sibi eligendi confessarium, valide absolvere pœnitentes, nisi acutu approbati essent ab ordinario loci ubi confessiones audirent, neque si non absolverent juxta licentiam concessam cum limitatione, vel quoad locum, vel quoad tempus, vel quoad genus personarum.

Cf. auctorem nostrum, lib. V, tit. XXXIX § VIII, n. 259, vol. VI, pag. 610, de regularibus iter facientibus.

#### ANIMADVERSIO XVIII.

##### DE CONFESSARIO JURISDICTIONEM DUBIAM HABENTE.

Propositio sequens fuit proscripta ab Innocentio XI, 2 martii 1679: « Non est illicitum in

sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutoire, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurriendi. Hinc sententia probabili tantum uteendum non est in collatione baptismi, ordinis sacerdotalis aut episcopalis. » — « Hanc propositionem habere locum, inquit Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. II, sect. 10<sup>o</sup>, loctores authumant de materia et forma duntaxat; repetam tamen hic a me notata in *Addition. ad Thesaurum, De pœnis*, cap. II, v. *Absolutio*, cum clarissimo auctore Paulo Comito, societatis Jesu, lib. VI *Resolut. moral.* quest. LVIII, n. 10, asserente « sicut in sacramentis verae requiritur forma et vera materia, ita verus non omissatur minister. » Cui adstipulatur etiam Joannes Cardenas, alter ejusdem societatis auctor qui, dissert. I, cap. vi, art. iv, n. 137 et seqq. ad propositionem primam ab Innocentio XI proscriptam, luculenter probat necessario requiri opinionem certam, etiam quoad jurisdictionem in ministro; immo addit contrariam sententiam subjacente damnationi dicte propositionis, ibi: « Quamvis non pauci auctores censere videantur licite posse absolviri pœnitentem a confessario, cui solum inest jurisdictionis probabilis, illud tamen certum superponendum est opinionem, quæ asserit absolviri posse cum sola jurisdictione probabili, et esse certo falsum et huic damnationi subjacere. Est enim certo falsum quod licet exponere frustationi sacramentum pœnitentiae, atqui sacerdos absolvens cum sola jurisdictione probabili exportat frustrationi sacramentum pœnitentiae, ergo est certo falsum quod licet etc. Major est evidens et constat etiam ex damnatione; minor patet, nam si coram Deo non est vera ea opinio probabilis de jurisdictione sacerdotis, ille quidem absolvit sine jurisdictione, atque adeo absolutio est nulla. »

Petrus Scavini, *Theolog. mor. univ. edit. IV Parisiensi*, apud Lecoffre 1863, tract. X, disp. I, cap. iv, art. 1, n. 100, distinguit cum Barbosa, Sporer, Suarez et aliis: « Vel aliqua tunc adest causa gravis necessitatis aut magnæ utilitatis vel non. Si causa non adest, non licet sacramentum administrare... Si vero gravis causa adest, tunc fas est uti jurisdictione speculative tantum probabili; cum enim adsit in Ecclesia consuetudo universalis (ab Ecclesia non ignorata) ferme omnium confessariorum absolvendi pœnitentes cum tali jurisdictione, et agatur de re, quæ ab Ecclesia ipsa supplieri potest, certo supplieri præsumitur in dicto casu gravis necessitatis aut magnæ utilitatis ob bonum animarum, ne dicamus ipsam: tolerare sententiam quæ nimium vergit in fidelium perniciem, quod nefas suspicari. Eo igitur in casu confessarius noster in praxi non absolvit cum sola opinione probabili, sed cum sententia moraliter certa, non quidem directa sed reflexa. Nec obstat propositione damnata, nam illa loquitur de opinionibus circa ea in quibus nihil potest Ecclesia, id est circa sacramentorum materiam et formam, non vero circa

**Jurisdictionem quæ ab Ecclesia tribuitur quando et quoties et quibus ipsi libuerit.**

» Censetur autem gravis causa adesse, 1. si urgeat præceptum annuæ confessionis, nec aliis adsit confessarius qui certa gaudeat jurisdictione; 2. si pœnitentes indigeant auxilio talis confessarii; 3. si pœnitens deberet complicem patefacere alium adeundo, vel secus remanere debeat in mortali; 4. si confessarius, qui habet jurisdictionem probabilem tantum, timeat ne secus pœnitens apud alium sacrilegio confiteatur. »

## ANIMADVERSIO XIX.

## DE FACULTATIBUS CARDINALI MAJORI PŒNITENTIARIO COMPETENTIBUS.

Legatur constitutio Benedicti XIV, *Pastor bonus*, 13 april. 1744, vel in ejus bullario, vel apud Giraldum, *Exposit. jur. pontif.* ad calcem, ut sciatur quæ facultates hodie majori Pœnitenitario competent, tam ipsi quam officio sacre Pœnitenitariae, pro regula ad hoc sacram tribunal preces dirigendi juxta rerum opportunitatem.

## ANIMADVERSIO XX.

## FACULTATES SPECIALES QUÆ SOLENT CONCEDI CONFESSARIIS AD MAOREM PŒNITENTIARIUM RECURRENTIBUS.

Quilibet confessarius ad ordinario approbatus impetrare potest ab Eminentissimo cardinale majori Pœnitenitario facultates quasdam speciales quarum tenorem hic adjicere perutile ducimus:

« Tibi dilecto in Christo, confessario ab ordinario loci ad excipendas utriusque sexus sacramentales confessiones legitime approbato, infrascriptas concedimus facultates, quibus pro foro conscientiae, et in sacramentali confessione, auctoritate apostolica, uti valeas, et non aliter; ita tamen ne debebas illas cuiolibet manifestare, nisi necessitas, aut utilitas id exegerit.

» I. Absolvendi ab excommunicatione ob manus violentas injectas in clericos, aut presbyteros, sive sacerdotes, sive regulares in casibus tamen non deductis, nec de facili ad forum ordinarii deducendis; dummodo non sit sequuta mors, vel mutatio, seu lethale vulnus, aut ossium fractio, et injuncta congrua pœnitentia salutari, cum obligatione caute et competenter satisfaciendi parti læsæ.

» II. Absolvendi a censuris contra duellantes inflictis, dummodo casus ad forum ordinarii non fuerint deducti; injuncta gravi pœnitentia salutari, et alii injunctis, quæ fuerint de jure injungenda.

» III. Absolvendi quoscumque pœnitentes sive viros, sive mulieres (exceptis hereticis publicis, sive publice dogmatizantibus) a quibusvis sententiis, censuris, et pœnis ecclesiasticis ob hæreses tam nemine audiente, vel advertente, quam coram aliis externatas, ob infidelitatem, et catholice fidei abju-

rationem private admissas, sortilegia, ac maleficia etiam cum sociis patrata, necnon ob dæmonis invocationem cum pacto donandi animam, eique pressitam idolatriam, ac superstitiones exercitas, ac demum ob quæcumque insinuata falsa dogmata, incursis, postquam tamen pœnitens complices, si quos in præmissis habeat, ordinario loci, vel sacra inquisitionis ministro in locis, in quibus viget sacra inquisitionis auctoritas, prout de jure, denuntiaverit. In aliis vero locis, facta a pœnitente seria promissione denuntiationem peragendi cum primum, et meliori modo, quo judicio tuo fieri poterit, coram ordinario loci. Et postquam in singulis casibus hæreses coram te secrete abjuraverit, et pactum cum maledicto dæmons initum expresse revocaverit, tradita tibi syngrapha forsan exarata, aliisque mediis superstitionis, ad omnia comburenda; injuncta pro modo excessum gravi pœnitentia salutari cum frequentia sacramentorum et obligatione se prudenti judicio tuo retractandi apud personas, coram quibus hæreses manifestavit, et reparandi illata scandala.

» IV. Absolvendi a censuris incursis ob violationem clausuræ regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit cum intentione ad malum finem, etiam effectu non sequuto, et dummodo casus non fuerint ad forum ordinarii deducti, cum congrua pœnitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris, et pœnis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausurae virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; injuncta gravi pœnitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam, et conventum seu cœnobium dictorum religiosorum, durante occasione peccandi.

» V. Absolvendi a censuris ob retentionem et lectionem librorum prohibitorum incursis, postquam tamen pœnitens libros prohibitos, quos in sua potestate retineat, ordinario loci, seu alii, cui de jure, consignaverit, vel consignandos tibi dederit; injuncta congrua pœnitentia salutari.

» VI. Absolvendi a casu Sedi apostolice reservato ob accepta munera a regularibus utriusque sexus; injuncta pœnitentia, et quando agitur de munieribus infra valorem decem scutorum, aliqua elemosyna judicio tuo taxanda, et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium religionis, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet quod illa fuerint de bonis propriis religionis; quatenus vero accepta munera, vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, quam si de præsenti adimplere nequeat, præstita in tuis manibus obligatione restituendi infra terminum tuo arbitrio præfinendum, alias sub reincidentia.

» VII. Absolvendi religiosos cujuscumque ordinis (exceptis monialibus, nisi fueris pro ipsis ab Ordinario loci approbatus vel deputatus) non solum a præmissis, sed etiam a casibus, et censuris in sua religione reservatis.

## ANIMADVERSIO XXI.

» VIII. Committandi, consideratis causis, omnia vota simplicia in alia pœnitentia, seu pietatis opera: exceptis quinque votis Sedi apostolice reservatis, scilicet castitatis, et religionis, ac trium peregrinationum, nempe ad sacra SS. Apostolorum Limina, ad S. Jacobum in Compostellis, et ad Jerusalem; necnon votis pœnalibus ad sese arcendum a peccatis; et insuper voto non ludendi; ac votis, in quibus agitur de præjudicio vel de jure tertii.

» IX. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressor voti castitatis, qui matrimonium cum dicto voto contraxerit; monendo hujusmodi pœnitentem ad idem servandum teneri, tam extra licitum usum matrimonii, quam si marito, seu uxori respective supervixerit.

» X. Dispensandi cum incestuoso, sive incestuosa, ad petendum debitum conjugale, cuius jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea, vel consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suæ uxoris, seu respective mariti, remota occasione peccandi: et injuncta gravi pœnitentia salutari, et confessione sacramentali semel quolibet mense, per tempus arbitrio tuo statuendum.

» XI. Dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis provenientis ex illicita copula, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto: ita tamen, ut, si hujusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat: monito penitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius delictum nusquam detegatur: remota occasione peccandi; atque injuncta gravi pœnitentia salutari, et confessione sacramentali semel in mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

» XII. Dispensandi super occulto criminis, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria secreta renovatione consensus; ac injuncta gravi pœnitentia salutari, et confessione sacramentali semel quolibet mense per tempus arbitrio tuo statuendum.

» XIII. Dispensandi super occulta irregularitate contracta ex violatione censurarum dumtaxat cum sacerdotibus, vel in sacris ordinibus constitutis, tam sacerdotalibus, quam regularibus.

» XIV. Absolvendi a censuris, et pœnis ecclesiasticis eos, qui vetitis massonicis, aut carbonariis sectis aliisque similiibus nomen dederunt, aut favorem præstib[us]t[ur]ant, postquam tamen a respectiva secta omnino se separerint, eamque abjuraverint, libros, manuscrip[ti]a, ac signa sectam respiciantia, si quæ retineant, tuis manibus consignaverint ad ordinarium quamprimum caute transmittenda, veræque pœnitentie signa exhibuerint. Firma obligatione denuntiandi sectæ socios, ac magistros,

prout de jure, et quoad carbonarios, eos omnes, de quibus in §. *Præcipimus* bullæ *Ecclesiam a Jesu Christo*, a fel. rec. Pio VII edita, et a papa Leone XII confirmata; injuncta pro modo calparum gravi pœnitentia salutari, cum frequentia sacramentalis confessionis; aliisque injunctis de jure injungendis.

» Volumus autem, ut supradictis facultatibus utileas tantummodo per (hic tempus præfinitur) a data præsentium computandum: et abstineas absolvere a casibus reservatis locorum ordinariis, nisi facultatem ab iisdem obtinueris.

» Datum Romæ ex ædibus nostris die.....»

## ANIMADVERSIO XXI.

## DECRETA CIRCA USUM PONTIFICALIUM PRÆLATIS EPISCOPO INFERIORIBUS CONCESSUM.

« Sacrorum rituum congregatio, tollendis ac eliminandis circa ecclesiasticos ritus qui irrepserunt abusibus sedulo intenta, post episcoporum Cæremoniale evulgatum, quo quidquid ad ipsos in sacris cærimonias pertinet abunde prescrispsit, idem quoad inferiores prælatos, qui pontificalium usufruunt, præstandum curare necessarium existimavit ut excessus aboleantur, uniformisque inducatur sacrorum ritus in omnibus, eo præsertim tempore quo privilegia ipsi perperam interpretantes obtententesque, parum obsequi student decretis plures ab eadem sacra congregatione hac in remet evulgatis, aut ipsa ignorare prætendent. Quamobrem omnia simul, ut unico consipientur obtutu, cogere perque capita digerere constituit quo facilius observentur.

» I. Super altari, in quo sacra erunt facturi, septimum nequaquam apponant candelabrum.

» II. Cathedram, seu sedem fixam et permanentem in eorum ecclesiis ne detineant, sed tribus ipsis diebus quibus ex antiquis decretis tantummodo pontificaliter celebrare est iis permisum, mobili sede seu cathedra utantur, quam nihilominus simplici serico panno coloris festivitati congruentis obducere poterunt, non auro contexto, aut phrygio, sive basilico opere exornato.

» III. Baldachinum adhibere supra sedem poterunt, non pretiosum aut aureum, sed simplex et eo, quod altari superimponitur, materia et opere inferioris. Ad ipsam autem per duos tantum gradus in presbyterii superficie stratos ascendantur.

» IV. Nou abacum alium præter parvam mensam et in cornu epistolæ parare faciant, in qua duo candelabra cum candelis, necnon mitra, calix, missale, thuribulum, navicula, et reliqua ad celebrationem necessaria collocentur. Prope vero mensam eamdem parieti hærens baculus pastoralis appetetur.

» V. Dies vero, in quibus ipsis operari conceditur, sint de præcepto festivi, vel alii in quibus ipsis pontificaliter celebrare festivitatis ratio exigat, nempe patroni loci, fundatoris ordinis, tituli et